

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

LIII. Dissertatio Medica, De Nociva Cancriinveterati Extirpatione: Novis Exemplis Demonstrata.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

LIII
DISSERTATIO
MEDICA,
DE
NOCIVA CANCRI INVETERATI
EXTIRPATIONE:
NOVIS EXEMPLIS DEMONSTRATA.

Quam Præside
DAN. WILH. TRILLERO;

Tuebatur
CAR. CHRISTIAN. TITIUS
ROSSVINO-MISNICUS

Wittembergæ 28 Octobris anno 1752.

Tom. II.

Q o o



LIII
DISSERTATIO
MEDICA

DE
NOBILITATE CANCERUM
EXTRINSECORUM
NOVAE EXPERIMENTIS DEMONSTRATA

Authore
D. WILHELMO TRILLERO

Medico
CAR. CHRISTIANI PRINCEPS
ROSSINI-MINIS
Wittenburgae MDCCCLXXXII

220

1001



P R O O E M I U M.

Nihil quidem frequentius apud medicos chirurgosque imprimis, reperitur, promta teterrimi cancri extirpatione: sed nihil tamen eadem esse ut plurimum incertius, damnosius & periculosius, simul mœsto cum corde fatendum est. Adeo enim usque immite atque intractabile prorsus abominandi illius mali plerumque esse solet ingenium, ut nulla fere humana ope & arte superabile sit, unde verissime quondam cecinisse videtur notissimus ille feliciore ingenio, quam fato, poëta Sulmonensis:

*Ulceris id genus est, quod, quum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse puto.*

Profecto, ne potentissima quidem naturæ & artis instrumenta & præfidia, ignis nempe atque ferrum quidquam sæpius valent ad focundam illam & immortalem quasi luem penitus extinguendam. Neque enim atrocissima illa pestis excinditur ferro, aut exurit igni; quin potius,

*Per damna, per cades, ab ipso
Ducit opes animumque ferro:
Non Hydra, secto corpore firmior,
Vinci dolentem crevit in Herculem:*

Quam hydra illa cancrorum plus quam Lernæa in medicos chirurgosque vinci dolentes, aduētis subinde viribus, ferociter insurgit, omniaque illorum machinamenta, quantumvis valentissima, eludit atque retundit. Tam late enim serpit dirum istud immedicabilis mali contagium, ut, licet uno loco, vindice ferro, rescissum fuerit, mox tamen altero, acrius resurgat, immo & hoc repurgato, paulo post tertium, quartumve sædissima sua tabe infestet & contamine, ita, ut in hoc numeroso & feraci malo plane eradicando, una fere salus sit, nullam prorsus sperare salutem, & maxima hic scientia medicæ pars esse videatur, sanare non posse, uti scite loquitur Quinētilianus. Non enim eo ipso solum loco, ubi pestiferi illi liquentes ac subfusi cancri ramices latius dispersi conspiciuntur, propria ac destinata ejusdem sedes esse deprehenditur: sed per omnem potius corporis affecti & infecti ambitum, ubi muscoli, pinguedines & glandulæ potissimum repositæ sunt a natura, latissime circumspersa latent contagiosa cancri edacis semina exitium paritura: inde sævum virus

*urit corpore serpens
Quamcumque arripuit partem, repitque per artus.*

Mutua namque tabe mox omnia inficiuntur, & extirpato uno cancro,

O o o 2

por-



protinus alibi aliter, immo & tertius, ut dixi, fæda fætura succreſcit, exhausto nempe ſic mali inextirpabilis rivo, non ipſo integro ejuſdem fonte obturato. Unius igitur cancri extirpationem plerumque alterius eſſe generationem, ex his ipſis ſequentibus tribus exemplis notatu certe digniſſimis, à Dn. Præſide quondam, cum cura obſervatis, nunc, ſpero, liquidius pateſcet.

HISTORIA PRIMA.

FAbro cuidam ferrario, annorum XLVI. oris pallidi, corporis maci-
lenti, exſanguis & debilis, forte in labio inferiore, enatum erat exi-
guum tuberculum, mediocris lentis, aut piſi magnitudine, nonnihil du-
rum, colore lividum & quandoque leviter dolens: hæc nempe erat ven-
turi prima favilla mali. Quod quum ille ſæpius, ut fieri ſolet, manu im-
proba incautius contrectaſſet, atque ſubinde compreſſiſſet; paulo poſt ac-
cidit, præter omnem ſpem & opinionem, ut exiguum hoc primam fron-
tem, malum mox acrius exaſperaretur, dolores vehementius increſcerent,
illudque parvum modo tuberculum in patientiorem ambitum ſeſe latius ex-
plicaret, adeo uſque, ut ipſum totum labium fædo admodum adſpectu,
alte intumeſceret, lividam duritiem indueret, atque demum per ruptas
paſſim ſua ſponte fiſſuras, ſanguinem atrum fætidum ac corruptum ſenſim
exſtillaret.

Futuri ergo metuens quidem; ſed gravi ſimul paupertatis incumbentis
onere deterritus, ut medicum peritum, aut chirurgum in arte exercita-
tum, uti decebat nimirum, tempeſtively accederet, varia mox ipſe adhi-
buit contra augeſcens malum, remedia ut plurimum domeſtica, nunc bo-
na, nunc mala, ut nempe fieri conſuevit, nullo proſus delectu habito:
quibus tamen omnibus nihil quicquam proficientibus, tandem de ſalute
anxius, in conſilium advocavit tonforem quemdã ſibi vicinum, qui, ex
pravo nonnullorum iſtorum hominum more, per mortes & cædes, dira
experimenta facientium, mali præſentis ignarus; & futuri improvidus,
varia ipſi unguenta & emplaſtra, quorum virtutes, aut noxas ipſe tamen
neſciebat, liberali admodum manu, ſuggeſſit: ſed tam ſiniſtro quidem
cum eventu, ut loco ſperati promiſſique auxilii, omnia potius quotidie in
pejus ruerent, ipſumque labium, pereunte proſus figura priſtina, in de-
formem plane viſuque terribilem tumorem attolleretur.

Exacto igitur inter tot ærumnas atque miſerias, integro pene anno,
tandem infelix iſte & exſpes fere ægrotus me ipſum anno c10 10 CCXXXV.
acceſſit, meam etiam qualemcumque opem imploraturus.

Vix



Vix autem viso horribili illo atque monstroso plane labio, mihi protinus frigidus horror

Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

Ingentis enim farciminis ad instar, sanguine infarcto turgidi, eoque sæde propendebat, ut gravi ejus pondere pendulo ipsum subtus mentum, teterrimo quidem spectaculo, penitus occultaretur. Vel ad levissimum autem digiti admoti attactum, sanguineæ guttæ tanta quidem copia, undique emicabant, ut timide tangentes manus atro horreni fætoris tabo ubique affatim commacularentur.

Quibus omnibus ancipitis præcipitque mali momenti curatius exploratis atque expensis, ipsi statim candide & sine ambage, exposui intracabilem prorsus immedicabilis hujus cancri cruenti indolem ac naturam, addidique, omnem salutis spem in solo esse ferro repositam, eoque aut confestim ipsam illam teterrimam pestem esse jugulandam, aut eum ipsum proxime, indomabili ejusdem sævitia fore jugulandum. Non enim aliud plane dari inevitabilis fati effugium, nec bene nunc convenire lenta remedia alia rapidissimæ intus furentis veneni pernicitati.

Quam duram decretoriamque quasi sententiam quum iste imperterritus prorsus accepisset; statim nos serio atque efflictim rogavit, ut nulla interposita mora, arduo illi & generoso operi exsequendo alacriter accingeremur, seque ad blanda venturæ salutis gaudia, sic excruciareremur; severe adjiciens, se quidem ad omnia discrimina, aut tormenta intrepide subeunda, promptum satis paratumque animum jamjam induisse, malleque citam mortem sufferre, quam vitam diutius tolerare mille omnino mortibus deteriorem: sese enim non tam vivum esse hominem, quam potius ambulans quasi insepultumque adhuc cadaver, quod & sibimet ipsi, & omnibus aliis hominibus abominabili esset terriculamento.

Præparato igitur sic prius per justam sanguinis missionem, & repurgato leniter inferius corpore, potionibusque corruptam sanguinis massam emendaturis, largiter propinatis; nihil quidquam amplius cunctati sumus, inexpugnabilem istam hactenus pestem stricto ferro animose excindere: quod quidem per peritam solertis chirurgi dextram, tam fausto cum successu, peractum fuit, ut temporis fere puncto, uno propemodum ictu, labium illud tabifica labe infectum a parte sui sincera concinne dissociatum, excideret, mirantibus nobis merito ferream quasi fabri illius constantiam, & inconcussam animi intrepidi firmitudinem, qua Scævola alicujus ad instar, luctibus atque doloribus impenetrabilis, sic plane & irretortis oculis, lacrimabilem sui jacturam, & particularem quasi corporis laceri funerationem hucusque spectaverat: nullos enim ejulatus, nullas complorationes, & ne ullas quidem voces indecoras hactenus, inter illam lanienam hippocraticam, ediderat.



Recens interea vulnus rite curatum, mundatum & obligatum blandum sensim atque laudabile pus reddidit, & iusto demum tempore, pulchram fatis ac decoram cicatricem duxit, succrescente nempe miraturæ fictricis solertia, ceu quodam amissi labii imitamento. De quo dubitare quidem nonnihil videtur Celsus, lib. VI, cap. 15. & lib. VII, cap. 9 luculenta tamen in contrarium exempla attulerunt Paræus, opp. chirurg. lib. VI, cap. 29. p. 219. Timæus a Guldenklee, cas. medicinal. 38. lib. I. pag. 71. & ill. van Swieten, in comment. in aphorif. Boerhav. Tom. I. pag. 896. aliique inferius allegandi. Præsertim autem celeb. ille Taliacotius, in chirurgia nova curatorum, lib. II, cap. 19. pag. 531. sqq. quibus add. B. Platneri chirurg. pag. 161. & ill. Heisteri absolutum Opus chirurg. Tanto igitur vitæ discrimini exemptus, plenæque, ut videbatur quidem, sanitati aliquo post tempore, redditus, lætus, & quasi ex orco revocatus, ad suos domum reversus est, positoque omni ambigui futuri metu, per integrum fere annum, satis probe comodeque valuit. Illo autem vix exacto, suspecta admodum raucedo atque ardua cibos ingestos detrudendi difficultas sese illico prodidit; inspectoque diligenter ipso quidem ore ac collo, cum ingenti visentium stupore, tristissimum illud apparuit spectaculum, pestiferum nempe istud canceris virus adhuc intus residuum, obturato illo externo oris ostio libero, nunc majore longe periculo, ipsos interiores faucium collique recessus invasisse, ibique uvulam, palatum, atque utrasque tonsillas, non intactis plane externis quoque pone aures, glandulis parotidibus, immedicabili lue infecisse.

Licet igitur mox potentissima remedia tam interna, quam externa, uti linctus, potiones, gargarismata, aliaque profutura, in usum assiduum, sine ulla cunctatione, advocarentur, non exclusis simul medicamentis ex mirifico illo, ut creditur quidem, ligno sancto, atque Hydrargyro ipso, volubili sua mobilitate omnes tenuissimos corporis canales & recessus liberrime permeante & penetrante paratis; frustra tamen omnino solertissimæ etiam manus medicæ adhibebantur, arsque ipsa salutaris victa moestaque jacebat. Quoniam enim ob cæcos difficilesque angustiarum aditus atque recessus, nemo facile summum tetri ulceris interni os ferro acuto rescindere poterat, licet quoddam in faucibus carcinoma ultione adhibita, feliciter sese olim extinxisset, scripserit Hippocrates noster, lib. de morbis epidem. VII, pag. 873. quem postea nostro quidem ævo, fortiter feliciterque imitatus fuit magnus Fred. Ruyschius, observat. anatom. chirurg. LXXVI, pag. 70. quod ipsum nec ignoravit Celsus lib. VI, cap. 15. pag. 391. hinc vitium insanabile tanto magis alebatur, vivebatque validius tegendo, atque latius quaquaversum proserpendo, divagabatur, adeo, ut tandem iste mortalium miserrimus, in se tumescentibus paulatim faucibus, & impedito hinc libero animæ meatu, macie, fame, æstu, ægitudine & febre lenta confectus & attritus, mortem in tot malis,

lis, ceu portum ac finem miseriarum, anxie quæreret, ac toties quæsitam & expectatam demum, post aliquot hebdomadas lamentabiliter transactas, auspicato inveniret. Manifesto nimirum argumento, tardiora scilicet sæpe esse remedia, quam mala, quæque dudum corrupta, in malum ulcus veteraverunt, longe difficilius curari posse, & nusquam hinc tutam prorsus fore fidem de extirpando penitus cancro, temere conceptam. Serpit nempe, ut dixi, pascendo, crescens illa pestis, neque amputato uno lethifero ramo, deficit alter mox successurus.

*Ulcus enim vivescit, & inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque ærunna gravescit.*

HISTORIA SECUNDA

Pari quidem tetro oris dehonestamento deturpatus; dispari tamen animi fortitudine præmunitus, me anno **CIO IO CCXXXV.** accessit nobilis quidam venator Nassavicus, annorum **LII.** vigentis adhuc ætatis & valentis fatis corporis. Trepidabat enim vehementer atque exhorrebat vel ad solam mentionem de amputando nempe labio, atro cancri serpentis veneno taboque corrupto, a nobis tum factam, adeo usque, ut animi fere defectionem pateretur.

Quum autem ipsi argumentis haud proletariis liquido demonstravissem, nullam aliam facile sperandæ salutis amplius superesse viam, quam quidem istam, quæ acuto ferri minacis mucrone aperiretur, atque in ejusmodi malis conclamatis, singulisque fere momentis, augefcentibus, nihil tutius festinatione reperiri, hincque facto magis, quam consulto, opus esse: mutata statim sententia, imperiosæ sese necessitati lubentiore animo morigeraturum, sancte spondit, fractus præsertim atque expugnatus flagrantissimis charæ uxoris filiæque unicæ precibus, lacrimisque coortis uberrimis. Addebat præterea, se tanto magis nunc certius aliquod, etsi paulo durius, sui pertinacis mali expetere remedium, quod hætenus per tres fere annos, promissis medicorum splendide mendacibus verique inanibus, miserabiliter circumductus fuisset, atque ex sumtuosis eorumdem medicamentis, specioso quidem ac decepturo fuco circumlitis, intra autem nihil prorsus fronti suæ simile habentibus, largissima licet copia sibi subinde ingestis, plus semper damni, quam emolumenti, indigabundus morarumque pertæsus, percepisset.

Oportuna igitur sanguinis missione, ventrisque impuri expurgatione præmissa, aliisque pro ipsa rei præsentis natura, in tempore, decenter circumspectis ac provisus, mox sine mora, ipsum opus fortiter adgressi sumus, labiumque illud ferali jam livore corruptum, teterrimique odoris ta

bo



bo turgidum ejusdem solertis chirurgi manu adjunctice, a parte sui fissura, una cum aliqua carnis adhuc sanæ portione, ex accuratis artis scilicet regulis, feliciter resecurimus, idque tanta quidem cum pernicitate peractum fuit, ut longe citius metu suo atque sollicitudine exsolutus esset ipse ægrotus, quam spe antea præcepisset, uti cruento adhuc ore, nobis lætus gratusque, fatebatur: quum interim hæcenus inexpectata certe animi constantia, perpessus esset & cohibuisset coercuissetque intra sese effrenati doloris violentias, nec ullos præter spem, lamentabiles gemitus edidisset.

Ceterum recens hoc a sanguine adhuc vulnus eodem, ac superius fabri, modo, rite curatum ac tractatum, dein probe suppuravit, sensim pulchre resanuit, & quamdam quasi deperditi labri imaginem, naturæ emendatricis beneficio, mirantibus & gaudentibus nobis, scite reduxit, ita, ut egesto plane, quidquid turbidum, corruptum ac cariosum fuerat, faciei pristina sua forma maximam quidem partem, rediisse videretur.

Peracta igitur sic feliciter, ut quidem blanda nobis inerat persuasio, curatione, paulo post, sanatus noster venator, cum omni sua familia, a nobis, domum recessit, lætiore multum animo, facieque aspectu meliore, quam ad nos ante aliquot hebdomadas, accesserat, ingentis jam de restituta salute, spei plenus, suæ autem tam propinquæ eheu! fortis tristioris adhuc ignarus.

Licet enim, nobis serio suadentibus, nihil interea prorsus neglexisset, quod ad laudabilem succum sanguinemque vitalem aut conservandum aut denuo ingenerandum, ullo modo faceret, licet quoque imperiosioris, exquisitoris & curatoris diætæ multum observantior esset misero isto fabro superius commemorato, dura nempe & amara paupertate nimium presso, quum ipse contra divitiis, facultatibus, vitæque melioris & mollioris commodis abundaret, licet denique Thermis Embsensibus, fontibusque natura medicatis aliis, ex nostro quidem salutari consilio, subinde usus fuisset: tamen his omnibus prudenter interea adhibitis, obstante nempe dura inexorabilis fati inclementia, prohibere nullo pacto potuit, quo minus pestifer ille mali male soporati fomes sub cineribus quasi dolosis adhuc absconditus, in novam & atrocioram subinde flammam erumperet.

Biennio enim vix plene exacto, paria tristia fata, cum miserando isto fabro, ipse sane miserandus, subit, delato nempe mortifero canceris acrius reviviscentis veneno in ipsas colli tumentis glandulas, in asperum veluti saxum induratas, & ipsam denique, horresco referens, linguam multis tuberculis liventibus fædissimamque saniem plorantibus, horrendo plane spectaculo, oppletam, non intactis una ipsis gingivis, similibus tetrus ulcusculis pariter scatentibus: quale quid etiam olim observasse videtur ipse Hippocrates noster, lib. IV. de morb. epidem. pag. 754. &

uti



& ut Galenum & Æginetam jam taceam, potissimum Valentinus Rulandus, apud Hildanum, obs. chirurg. 84. cent. III. pag. 351. fqq. item & Thomas Bartholinus, in act. med. Hafniens. vol. II. obs. 40. pag. 115. Quum igitur sic renatum hoc malum omni arte salutari valentius, omnique ope humana insuperabile prorsus esset; hinc

*invicta mente placebat
Rebus in adversis, exceptum pectore letum,*

Ideo afflictissimus hic homo, post diros magis durosque, quam longos lentosque cruciatus, animam tandem tot malis & ærumnis fessam, gaudenti propior, quam lugenti, Deo reddidit, suo nempe corpore, quod hætenus invita quasi & coacta, inhabitaverat, longe puriorem atque in corruptiorem.

HISTORIA TERTIA.

A Trocius multum tristiusque nobis spectaculum præbuit Anno c 10 10 CCXL. nobilis quædam natalibus, animo & forma corporis femina Alsatia, annorum XXXIII. per septem jam annos vidua, immo potius per omne id novem annorum spatium, quo ex rigidorum parentum duro magis imperio, quam libera sui ipsius voluntate, impari connubio, sævo cum joco, male juncta fuerat bono quidem divitique marito, sed vetulo simul, & in fervidam venerem frigido jam imbellique athletæ, ex cujus laxis lassisque nimium amplexibus & prænunciis tantum mentitæ robustioris voluptatis blanditiis, osculisque jejunis & inefficacibus, nullum plenum licentiæ conjugalis gaudium decerpserat hætenus misella ista lætioribusque hymenæis dignior puella, septem tantum decemque annos tunc nata.

Composito igitur tandem hoc suo Marito, nomine magis tali, quam opere, animum quidem a venerè hætenus nempe indegustata, non prorsus alienum ad secundas prioribusque fecundiores nuptias lubens adplicuit; sed curis interim discordiisque domesticis, ex opima illa hæreditate, ut fieri solet, ipsi subnatis, circumventa ac præpedita, eventuique litis ambiguo intenta, negotium istud in justo longius tempus extraxit, atque inculta quasi consenuit, imprimis, quum dubia ac suspensa hæreret, cuiam potissimum e tanta procorum tam opulentæ prædæ avidè inhiantium turba, se suasque fortunas tuto committeret, donec tandem temporis processu, primus ille acris novi fœderis connubialis ineundi impetus cunctatione interjecta, sensim relanguisset, & potior aureæ libertatis æstimatione in ejus quidem locum successisset, dulciusque hinc visum fuisset, collo



inposterum resoluta, vivere, nullaque arctiora conjugii ambigui vincula sustinere.

Sed absterrebat adhuc magis feminam optimam a cepto proposito, im-prospira corporis delicati valetudo, interim suborta, pedum nempe durus rubicundusque tumor, & mensium imprimis ad staturæ naturæ leges haud amplius iuste respondentium inordinatus motus ac devius error: nunc enim parcius erumpebant, nunc immoderatus rursus, & nunc denique per aliquod tempus, plane suppressi sistebantur.

His præsertim accedebat tuberculum quoddam durum, fabæ mediocris magnitudine, in dextra mamma subito sua sponte obortum, dolore quidem primum carens; sed postea tamen imminente in primis sanguinis menstrui fluxu, dolore omni haud vacuum. Quod quum ab initio, tantum exiguum, mox tamen, procedente tempore, in majores auctus altioresque tumores sensim assurgeret, doloresque lancinantes quasi, etiam extra consuetum mensium proditorum tempus, increbescerent; tum nobilis illa femina suæ nunc salutis, etsi paulo serius, curiosior, sibi aliquantum metuere, atque idonea contra ingravescens malum, remedia sollicitè circumspicere cepit; sed adeo adversa potius, quam secunda fortuna, ut adhibitis incautius varii generis fomentis, emplastris, epithematis, unguentis, liquoribus ac spiritibus, ut quidem vulgo vocantur, malum illud solatiis potius ac mollium remediorum ratione tractandum, nunc latius serpens, magis exasperaretur, cancerque ipse hæcenus occultus, tot autem irritamentis præpostere extimulatus, exitiosas suas vires virisque nunc manifestius proderet. Amabilis enim hæc & pario marmore alias candidior mamma adeo saxeam quasi naturam induerat, & in tam immensam fere molem monstruosè excreverat, intercurrentibus passim inflatis & quasi recurvatis venis, colore partim pallentibus, partim liventibus, non sine horrore conspicuis, ut insolitum illud & molestissimum pondus vel lata fascia ægre substrictum, maximo cum tædio, portandum esset.

Quare confestim unanimi peritorum medicorum & chirurgorum in societatem adscitorum suffragio, sententiâ decretoria lata fuit, ferro nempe atque igne eradicandum omnino esse insanabile illud carcinoma, ne partes adhuc sinceræ una in exitium mutuam traherentur. Quam propositam conditionem, etsi durissimam, molliori præsertim sexui, femina illa ingens animi, mox lubens & interrita prorsus accepit, seque, ut corpus redimeret, asperum ferrum juxta sevosque ignes fortiter passuram, constantissime assueverat. Haud igitur ignara, quæ sibi tormenta pararentur, formidabile illud ferrum sinu intrepide accepit, atque dirissimos cruciatus animo plus quam virili, pertulit, in nullos prorsus degeneres questus, aut flebiles lamentationes molliter soluta.

Quum igitur omnia in patentis jam vulneris curatione rite instituta, ex voto succedere viderentur, præsentibus tum firma quidem, sed falsa tamen, inerat persuasio, omne jamjam periculum feliciter esse perfunctum, cup-



cunctaque in posterum in vado fore : verum spe irrita prorsus & opinione inani sic argutabamur.

*Sed non idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas posuere :*

Quin potius male obrutum resurrexit mox incendium. Anno enim vix circumactō, inexsaturabilis cancri indomiti voracitas & alteram denique mammam ab illa detestabili quidem labe adhuc immunem, atrocissime adorta est, atque sic illæsas viciatis partes addendo, similes lugubres prorsus atque lacrimosas Tragedias vel ibi concitavit.

Trepidantibus ergo, consilii atque auxilii ambiguis inopibusque tum medicis atque chirurgis, ipsa illa imperturbatæ firmitudinis femina, in singulare plane constantiæ plusquam masculæ, exemplum, omni ævo memorandum, nata, & quasi malorum adsuetudine jam indurata, labantes consilio medicos suo valide firmavit, seque & alterius mammæ crudele quamvis excidium toleraturam, quo generosius nempe periret, placida ore, intrepida verbis, & intempestivas suorum lacrimas coercens, pronuntiavit. Unde attonitis jure miraculo hoc pene inaudito, medicis, illa infelix pesti devota jam futuræ, nec muliebriter ferrum iteratum expavit, nec pectus atque ora singultu quatiens, visendo tormenta sua jam cognita, ad impatientiam delapsa fuit : sed vultu potius sereno fortis, duratoque, ad instar marpessæ cautis, adversus acerbissimum quemque dolorem, animo, & alteram illam mammam putri tabo jam liquentem & horrendam fetidam intrepide præbuit excindendam; nec miserabiliter sibi indoluit, geminum illud formæ suæ haud quotidianæ eximium ornamentum, sororiantes nempe mamillas, jam ante sui ipsius funus, fæde fuisse funeratum, nudamque tantum atque desolatam earum aream, miserando prorsus spectaculo, esse relictam.

*Quod summum formæ decus est, cecidere mamillæ;
Ac letalis hiems paulatim in pectora venit.*

Verum curatis licet & provisus maxima quidem circumspectione & indefessa medendi artis industria ac solertia, universis singulisque, tamen proh dolor! nec intra hos, tametsi latissimos limites, atrox inexpugnabilis mali stetit sævities; quin potius depopulatis jam superioribus corporis partibus, ferri quasi nunc metuentior, lumbagine, lassitudine & insolito acrique locorum muliebrum pruritu, præviis, ad inferiores, uterum nempe ipsum, aliquot post, mensibus, relapsa est, quo scilicet primo quasi fonte derivata terribilis illa clades in mammæ haud dubie confluerat. Dolebat enim, uti paulo superius jam commemoratum, exiguum illud Tuberculum prius in mamma enatum, vel maxime, eo in-



primis tempore, quum natura consueto ordine, per menses exsolveretur.

Adeo inenarrabiles autem atque insustentabiles ferre cruciatus in ista uteri dira labe affecti, regione alias perquam sensili, subito exoriebantur, ut tantis doloribus diutius ferendis tenerum hoc muliebri corpus impar omnino videretur. Imprimis vero lentum, acre & urens virus continuo ab ulceroso inguine destillabat, sive ex sic dicta uteri vagina emanabat, quod non solum sævam olidamque exhalabat mephitim, ut miseram illam tetris odoribus feminam famulæ adstantesque in auxilia medici aliique sæpius longe fugitarent; sed & edaci sua ac dentata quasi acrimonia vel ipsas circumiacentes corporis partes carnosas, ceu crudeli tabe, peredebat; atque insuper, horrendum dictu & auditu! ipsa quoque subjecta stragula lintea contactu illo immundo, sanieque æruginosa, cinericea, flava, variaque ac tabo sanguine atro permixto, sædata sensim corrodebat.

Licet igitur contra dirissimum hunc hostem omni medendi arte perquam strenue pugnaretur, licet præstantissima remedia intus & extus, continuo in usum diligenter advocarentur; nempe interius, potiones sanguinem corruptum vitiosumque purificantes, & potentissima alias medicamenta ex ipso ponderoso mercurio liquido studiose parata, cum aliis id genus pluribus: exterius autem varii liquores balsamici, vulnerarii, emundantes, putredini adversantes, & anodyni, ut vocantur, per siphones, in laborantem, sædisque & chironiis quasi ulceribus scæntem naturam muliebrem perpetuo injicerentur, non exclusis salutaribus pestis in eundem nempe scopum efformatis, similesque foci partibus mordaci tabo exesis admoverentur: victa tamen hic succubuit medicina malis, atque hæc omnia in cassum plane, dolentibus merito præsentibus cunctis, adhibebantur, & infructuosa prorsus opera tentabantur a medicis sedulis quidem, sed infelicibus, sine ulla spe vincendi mali pervicacis relicta: proserpente quippe indies longius ista peste, cedere nescia & vires majores eundo, acquirente.

Unde inquietæ plerumque & insomnes noctes, longa ciborum fastidia, crebriores animi labantis defectiones, rigores & tremores artuum, inexplebiles fere bibendi cupidines, & insequutæ mox molestæ rursus vomitiones, atque innumera alia mala miseram istam jureque deplorabilem feminam, miserandum in modum, sine ulla fere intermissione, exercebant & excruciabant.

Illam tamen omnia hæc tormenta, quantumvis sævissima, pervincere prorsus haud potuerunt, ut mente solida quateretur, aut ex acrioris doloris impatientia, vocem degenerem, vel coeli vindicis irreverentiorum ederet, decoram sui famam sæde corrupturam: donec tandem biennio fere integro, inter tot infandas ærumnas & horrendas calamitates, exacto, infelix illa inclementia fati, exterrita foemina, mortem, ceu unicum miseriarum portum atque effugium, placide oraret, ipsamque nonnihil tæderet, suo

suo



quo quasi funeri interesse, & male vivum suum cadaver omnibus factore horrido abominabile secum diutius circumferre: arebat enim ubique sicca cutis, & rigidi nudique nervi stabant, infecto quoque ore exsanguis funereoque colore.

Omnipotens ergo Deus longum interea miseratus dolorem difficilemque obitum, placidam tandem facilemque mortem tanto laudabilius periturae immisit, adeo, ut tenuem jam spiritum, dormiturae propior, facile exprimeret: relicto interim non tam caduco fædoque illo tetrus ulceribus corpore, fugitivo animi perennaturi desertore; quam potius tam fortis exitus constantiæque inconcussæ illustri plane & diutius mansuro exemplo. Ita enim hic a nobis narrata posteritari & tradita, superstes quasi erit, si non in longissimum ævum; tamen, si illud quidem a venturi sæculi benignitate sperare fas fuerit, per alicujus saltim atque angustioris temporis spatium,

*Si modo ferre diem, serosque videre nepotes
Vilia nostra valent, nec famam invidit Apollo.*

Sed de his hætenus! Ne scilicet scriptoris medici muneris obliti, alienas Oratoris, aut Historici partes intempestive involasse, non nemini videamur. Ut enim ingenue nihil celemus, sola virtutis e duris asperisque pulchrius entescentis justa æstimatio hic nos aliquanto longius provexit, ac animo primum destinaveramus.

OBSERVATIONES PRACTICÆ VARIE

Ex his ipsis enarratis Historiis deductæ.

§. I.

EX his igitur tribus miserandis Historiis nunc, liquidius, putem, constabit, quam parum scilicet certioris fiduciæ pleniorisque salutis, in sola cancri pertinacis & intractabilis extirpatione fuerit reponendum, & quanto tutius sit ex adverso, immedicabile malum non temere contractare, aut intempestivis remediis adhuc magis accendere, nec sædam hanc camarinam, aut olidam anagyrin infeliciter plane, nulloque cum fructu, commovere.

§. II.

Licet enim paucissimi, raro cæli clementioris munere, post illius ex

P p p 3 cificio



cisionem, ad sanitatem pristinam reversi fuerint, uti varii mox laudandi Auctores, fide alias haud indigni, memoriae prodiderunt: tamen longe plures contrarium experti, praecipitatis eo ipso properantius fatis, misere extincti fuerunt: quum nempe efferatum illud & omnes omnium medicorum artes eludere solitum cancri infidiosi venenum, ex uno loco armata quasi ferro & igne manu, expulsum, mox alium longe periculosiorem occuparet, ubi ob difficiliorem locorum abstrusiorum aditum, nulla arte, aut ope humana, laboranti & succumbenti tandem naturae succurri commode posset, nec sese praestantiores illi & valentiores in arte chirurgica, Magistri facile invenirent, qui, ut Arnobius, Lib. I. adversus Gentes, pag. 30. de re fæda, fatis eleganter loquitur, *contumaciam carceris sævi, ad subeundam cicatricem, circumscriptis evaginationibus, compellerent.*

§. III.

Inde verissimum quidem notum illud tristissimum durissimumque Cornelii Celsi effatum, Lib. V. Cap. 28. prout nempe ex ill. Morgagni notastraque emendatione, legendum ibi videtur: *carcinomata curationibus irritantur, & quo major vis adhibita est, eo magis: quidam ferro adusserunt: quidam scalpello exciderunt: neque ulla unquam medicina proficit: sed adusta protinus concitata sunt, & increverunt, donec occiderent. Excisa etiam, post inductam cicatricem, tamen reverterunt, & causam mortis attulerunt.* Hactenus Celsus.

§. IV.

Quo & praesertim pertinet graphica illa & spirans quasi lactei Lactantii descriptio cancri illius vivacis ac verminosi, planeque inextirpabilis, quo truculentissimum illum & cruentissimum tyrannum, Galerium Maximianum, in meritissimam scelerum poenam, diu excruciaverat justissima Dei ultoris vindicta, Lib. de mortibus persecutorum, cap. XXXIII. his quidem verbis: *Incipit vulnus non sentire medicinam; proxima quæque cancer invadit, & quanto magis circumsecatur, latius sævit; quanto curatur, increfcit.*

Cessere Magistri,

Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

*Undique medici nobiles trahuntur: nihil humane manus promovent. Computrescunt forinsecus viscera, & in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare. Repercussum medelis malum recidit introrsus, & interna comprehendit, vermes intus creantur &c. Quomodo nempe postrema verba rectius legenda nobis videbantur quondam, pro vulgatis quidem, *repercussis medullis, malum recidit introrsus*: uti jamjam monuimus, ac nonnihil probavimus, in libelli nostri*

nostri de pleuritide, adjecta Appendice, ad Theodori Prisciani Cap. IV. pag. 198. Cæterum, ut id obiter hic adjiciam, eandem cancri sævissimi & fœtidissimi descriptionem uberiorem legendam nobis exhibuit Eusebius, Lib. VIII. Histor. Eccles. cap. 16. pag. 315. atque ex eo Suidas, in suo Glossario, Tom. II. pag. 494. ubi videndus Küsterus.

V.

Instar autem omnium hic potissimum esse potest veridicum illud Hippocratis ipsius nostri Oraculum medicis doctioribus elegantioribusque dudum cognitissimum, Aphorif. 38. Sect. VI. *οκόςοισι κρυπτοί καρκίνοι γίνονται, μή θεραπεύειν βέλτιον. Θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυται ταχέως, μή θεραπευόμενοι δὲ πλείω χρόνον διατελέσει,* h. e. Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius est. Curati enim citius pereunt: non curati autem longius tempus perdurant. Ad quem singularem locum, alibi quoque a nostro repetitum, lib. nempe II. Prædict. &c. legi præsertim in amplissimo commentario, meretur ipse Galenus, Tom. IX. Opp. Part. II. p. 272. vel maxime autem Guilielm. Fabric. Hildanus Observat. chirurg. 87. Cent. III. pag. 369. sqq. & p. 381. ibique etiam Sebastianus Meyerus, in doctissima sua ad ipsum Hildanum Responsione, pag. 384. seqq. qui ipsi nempe eximii duumviri in arduum nonnihil illum Aphorismum Hippocraticum perquam egregie commentati fuerunt: cujus tamen incunctam plane veritatem labefactare & oppugnare ipsamque Hippocratem rectiora scilicet docere, temerario prorsus ausu, conatus est frigidus ille per ignem philosophus, Petr. Jo. Faber, in chirurgia sic dicta spagyrica, cap. 14. pag. 49. Quibus supra laudatis omnino suo merito, addendus doctissimus ac diligentissimus Dieterichius, in Jatreo Hippocratico, opere bonæ frugis plenissimo, pag. 587. sqq. & pag. 654. ubi certe plura, quæ ad hoc nostrum Argumentum in primis spectant, una collecta exhibentur: nec non Gorraeus, in Definit. Med. pag. 209. Foësius, in Oeconomia Hippocratica, pag. 187. sqq. cum aliis pluribus.

§. VI.

Quam quidem verissimam Hippocratis sententiam, de cancrorum occulta vi sævientium & serpentium ancipiti ac damnosa curatione, sapienter quoque in immortale suum opus transtulit historicorum prudentissimus ac stilo nitidissimus, Polybius, cujus proinde testimonium, majoris scilicet ornatus gratia, ceu fulgentiorem aliquam gemmulam, his dictis nostris interferere, nihil, spero, prohibebit. Ita vero ille, Lib. I. pag. 114. *Ἐπί τε γὰρ τῶν ἔλκων, (Καρκινῶδων,) εἰάν μὲν θεραπείας τοῖς τοιαύτοις προσάγη τις, ὑπ' αὐτῆς ἐνίστηται ταύτης ἐρεθίζόμενα θάψιον ποιῆται νομῆν. Εἰάν δὲ πάλιν ἀφῆ, κατὰ τὴν ἐξ αὐτῶν φύσιν φθείροντα τὸ*
συνεχές,



συνεχῆς, ἢ ἔχει παῦλαν, ἕως ἂν ἀφανίσει τὸ ὑποκείμενον. In can-
 crosis quidem ulceribus, si curationem ita affectis admoveas, illa ipsa irri-
 tatur malum, ut tanto serpat velocius. Rursus, si curatio omittatur, proxi-
 ma quaque loca corrumpendo, ut natura est horum ulcerum, non ante finem
 faciunt, quam corpori subiecto perniciem attulerint. Haecenus Polybius. At-
 que id ipsum est, quod ita scite, ut solet, expressit Aretæus Cappadox;
 lib. II. de morb. diurn. cap. XI. pag. 64. Ἀγριάνει Καρκίνος Ψύσεσι
 τε καὶ Φαρμάκισι, καὶ χαλεπαίνει, πῶς καὶ ἰητρῆ, h. e. Effera-
 tur cancer manuum attractione, & medicamentis, & quolibet medele
 genere magis exasperatur; ubi videatur, si quidem lubet, commentarius
 longe doctissimus medici ornatissimi & elegantissimi, Petri Petiti, pag. 210.
 ut jam brevitatis studio, Paulum Aeginetam, Aetium Amidenum, Ga-
 lenum, Nonum, Actuarius aliosque veteres medicos taceam, apud quos
 nempe similes plane sententiæ frequentius leguntur.

§. VII.

His autem gravissimis medicorum præstantissimorum præceptis & inter-
 dictis severissimis licet vel maxime obstantibus; tamen & antiquiore jam
 ævo, & hac nostra quoque recentiore ætate, nonnulli mirandorum e-
 jusmodi arcanorum aut veri possessores: aut forsan rectius, vani promif-
 fores, subinde reperti fuerunt, quibus ne admoto quidem supremo illo
 ferri acuti remedio, sese cujuscumque cancerum generis sævas nocendi
 ac depascendi vires infringere ac debilitare posse, gloriarentur. Sic vetus-
 tissimus auctor M. Porcius Cato venerandæ suæ & aliis omnibus vel præ-
 stantissimis plantis, prælatæ dæ, quæ ipsi nempe in hortis nascebatur,
 scilicet brassicæ, invidendam hanc laudem in debellanda omni cancri sæ-
 vitia, tribuit, cap. CLVII. de re rust. pag. 118. Eadem vulnera putida
 caneresque purgabit, sanosque faciet, quod medicamentum aliud facere non
 potest: quod ex ipso repetit Plinius, lib. XX, cap. 9. ubi tamen sapi-
 enter addit: Silvestris brassicæ immenso plus affectus laudat Cato. Longe ve-
 ro cumulatus inflatusque extollit ac commendat adhuc Scribonius Largus
 mirificam illam, ut ipse jure vocat, compositionem nullius pene in me-
 dendo, virtutis expertem, ac præcipue a Pacchio Antiocho auditore Phi-
 lenidis Catinensis, quæstuoso valde usu illustratam, cap. XXIII. Com-
 posit. Med. CII. pag. 62. his quidem magnificis verbis: Quid dicam di-
 ritias in mammis mulierum, cum dolore, consistentes, quas nullum medica-
 mentum levat, quemadmodum ex toto, in perpetuum interdum sanat? quas
 plerique medicorum insanabiles adfirmant, καρκινώματα & κακοίδη, ap-
 pellantes. Poteram nominare honestas feminas, quas aut ille, aut ego, hoc
 medicamento sanavimus: nisi crederem fidem te habere nobis alioquin ipse tibi
 jam dixissem: ubi vide, si placet, acutissimi Jo. Rhodii not. & emendat.
 pag. 170. Qualem efficacissimam pariter medicinam cognitam quoque ac
 per-

perspectam habuisse quodam videtur nobilissimus ille medicorum crotoniensium, Democedes, quum in mamma Atossæ Darii Regis Persarum, uxoris, subnatum malignissimi moris cancerum, jamjam nempe disruptum & exulceratum, hincque vix, ferro igneque amplius expugnabilem, nullo tamen, ut colligere quidem licet ex ipsis Historici verbis, admoto profus ferro, solis tantum adhibitis remediis efficacibus & exquisitis, feliciter persanaret: nullam enim ustionis sectionisve mentionem injicit, qui memorabilem hanc Historiam diserte retulit, Herodotus, in Thalia, seu lib. III, cap. 133. & 134. pag. 211. Edit. Gronov. cujus nempe hæc sunt verba: Ἀτόσση, τῆ Κύρα μὲν θυγατρὶ, Δαρείῳ δὲ γυναίκι, ἐπὶ τῆ μαστῆ ἔφυ Φῦμα· μετὰ δὲ, ἐκράγεῖν, ἐνέμετο πρὸς αὐτὴν ὁ δὲ Δημοκῆδης, Φὰς ὑγίεια ποιήσεν· ὡς δὲ ἄρα μιν μετὰ ταῦτα, ἰώμενος, ὑγίεια ἀπέδεδξατο, hoc est: Atossæ, Cyri quidem filia, Darii autem uxori, exortum erat in mamma, Tuberculum; spondebat autem Democedes, sese illam sanaturum: confestim ergo idonea medicamenta applicuit, eamque ipsam exiguo interjecto tempore, integræ sanitati reddidit. Quam singularem Historiam ex hoc ipso Herodoti loco, maximam quidem partem, desumptam, in suum quoque lexicon transtulit Suidas. Athenæus autem, eandem perquam felicem Democedis curationem enarrans, leviter nimis leniterque de re gravi atque atroci, loquutus fuisse videtur; ut ex his ipsis ejusdem verbis luculentius patet, lib. XII. cap. 4. pag. 522. Θεραπεύσας ὁ Δημοκῆδης Ἀτόσσαν, τὴν Δαρείῳ μὲν γυναῖκα, Κύρα δὲ θυγατέρα, τὸν μαστὸν ἀλγύσασαν. Sanasse dicitur Democedes Atossam, Darii conjugem & Cyri filiam, quum ex mamma dolore egrotaret. Quæ certe parum digne respondent uberiori isti & accuratiori ipsius Herodoti relationi superius modo propositæ. Sed hæc obiter! transeamus potius, si lubet, ad alia.

§. VIII.

Sic igitur & apud ipsum Cornelium nostrum Celsum, lib. IV, cap. 15. commendatur valens adversus cancerem intestinorum, remedium, qui & in sequentibus libris, V. VI. VII. varia tam interna, quam externa medicamenta dilaudat, quibus singularem virtutem & efficaciam tribuit in persanandis diversi generis canceris adhuc, ut ipsi quidem videtur, sanabilibus. Commemorat quoque Plinius, lib. XXVIII. cap. 4. Aeschinis Atheniensis singulare, sed simul fere pudendum, remedium, botryon dictum, quo ille carcinomatis feliciter medebatur. Sed apud Plinium ipsum in vasto varioque Historiæ naturalis opere, innumera pene medicamenta ex plantis, animalibus, atque metallis adeo ipsis petita, passim occurrunt, quibus indomitam diri canceri ferociam fortiter fortunateque debellari posse, ingenti quidem, nisi forsan nimia, quod vereor, fiducia, traditur. Sextus quoque Placitus, rectius, quam Platonius, in libello

de medicina ex animalibus; apud ill. Fabricium, Bibliothec. Græc. Vol. XIII. Lib. VI. cap. 9. non solum Cap. XVII. 22. pag. 414. fordidum illud Æschinis Arcanum in extinguendo penitus carcinomate, superius ex Plinio productum, summis laudibus extollit, quod & fecisse constat Constantinum Africanum, Lib. de Animalium virtutibus naturalibus, ab Æculapio acceptis; sed etiam ipse Cap. XI. pag. 401. de sua penu aliud promittens præstans virtute remedium contra cancrofa, ut ipse quidem ait, vulnera & carcinomata. Quale & legitur apud Plinium Valerianum, aliosque plures. Præsertim autem longum vastumque ejusmodi remediorum tetrus cancris eradicandis repertorum indicem passim pertexuerunt veteres medici Græci, Galenus, Paulus Ægineta, Aëtius Amidenus, Dioscorides, Actuarius, Nonus, Oribasius, alique, quorum eximia loca, huc vel maxime spectantia, hic cuncta exscribere, aut specialius indicare, jam nec lubet, nec vacat: imprimis, quum hæc ipsa nemini paulo humaniori & in medicina veterum peritiori incognita aut obscura esse arbitremur. Utinam autem tam vera essent ista laudata nimis ab Auctoribus Græcis & Latinis adversus cancos, remedia, quam varia illa quidem sunt ac multiplicia. Sed sic copia nos inopes fecit, & congesto quasi in auro, adhuc tamen pauperes sumus.

§. IX.

Neque enim ditiores felicioresve exinde redditi fuimus tanta novorum remediorum accessione facta, quorum eximia prorsus virtute, indomitum alias carcinomatam virus, vel sine ferro adhibito, perdomari facile posse, publicis quoque scriptis, ingenti verborum grandifonorum apparatu, recentiore ætate, divulgatum fuit. Sic artis ostentatione & portentosa scientiæ venditione insignes illi triumviri, Hieron. Cardanus, Theophrastus Paracelsus, atque Helmontius, quorum societati, ceu quartus, merito adjungendus Petr. Jo. Faber, in chirurg. sic dicta spagyrica cap. 17. pag. 143. item cap. 14. p. 49. sese talia nosse miranda remedia arcana, quibus omnes omnino cancos funditus delerent, jactantius confidentiusque asseverarunt. Quos inter & mirabilis ille vir jure cenferi meretur, qui, referente eodem Helmontio, Tract. de ideis morbofis, 38. p. 518. Tom. I. Opp. *Cancrum quemlibet sanabat, inperso pulvere indolente: atque tum demum emplastro incarnante solidabat: cujus ars secum sepulta est.* Quæ si ita sint, ponamus enim tantisper, vera esse, tum sane inhumanus iste homo, quisquis demum fuerit, turpiter vitam fraudare voluit alienis etiam bonis, atque universo hominum generi maligne invidens, temere credit, neminem ex posteris docere, in scientiæ esse auctoritatem. Sed certiora hæc vix istis esse jure videntur, quæ de famosi illius Butleri lapillo mirifico ridicule ac superstitiose nimis idem perhibet Helmontius, in Butlero, ut libellum nempe lepide, aut frigide potius, inscripsit, p. 558. cui

cui nimirum adeo divinam stupendamque prorsus virtutem inditam fuisse, serio afferit, ut vel levissimo linguæ ad ipsum tactu, sive solo gustatu, sive denique unctione ex isto facta, non solum omnes, etiam immedicabiles alias morbi perfecte persanarentur; sed & inextirpabiles alioquin cancri temporis fere puncto, si credere quidem dignum, felicissime extirparentur. Sic enim, ne quid scenæ nempe, aut mimo defit, ipse ille mirificus Butlerus ampullatur ad credulum nimis ac superstitiosum Helmontium, ibidem, pag. 555. *Charissime, nisi eo devenias, quod unico remedio queas curare quemlibet morbum, manebis in tirocinio, utcumque senex evaseris.* Unde nunc clarissime, opinor, patet, ad quemnam singularem ac mirabilem hominum classem iste pertineat Butlerus, beatus scilicet tam lepidi lapidis panchrestii possessor, qui rarissima & inaudita fere felicitate, una, quod dicitur, fidelia non duos, sed omnes omnino parietes confestim dealbare potuit: iste profecto

Galline filius albæ;

Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.

§. X.

Nec defuerunt unquam plures ejusmodi magno, sed inani plane hiatu, promissores, splendidis quidem pollicitationibus prompti, ubi vero ad rem ipsam præstandam, ventum fuerit, ignava opera torpidi atque imbelle. Qualis ille fuit vanus certissimæ sanitatis sponsor, qui referente & dolente Ambrosio Paræo, Opp. Chirurg. Lib. VI. cap. 30. p. 221. nobilissimam matronam levi tantum & exiguo adhuc mammæ cancro affectam, perperam medicando, miserandum in modum, perdidit: cui respondet similis historia, apud Tim. a Guldenklee Cas. 40. Lib. IV. pag. 38. & apud Pechlinum, Obs. 70. Lib. I. p. 185. sqq. item Jo. Agricola, in chirurgia parva, Tract. V. pag. 499. Nec non alter ille Aretalogus, cujus meminit Ant. Benivenius, cap. 72. de abdit. Morbor. Caus. pag. 239. qui infelicem textorem pari modo, atrociter tandem interemit. Quo & pertinet temerarius ille chirurgus, qui notante Hildano, Obs. Chirurg. 86. Cent. III. pag. 367. intempestiva damnosæque unguenti Ægyptiaci applicatione, honestam matronam jugulavit: quod triste fatum & alteri similiter contigit, referente eodem, obs. sequenti, 87. pag. 370. nec non miserrimo illi infanti, apud Forestum, Observ. Med. 6. Lib. XIII. p. 317. conf. Verzaschæ Obs. med. 89. pag. 229. sqq. & rursus Forest. Obs. 26. Lib. XVII. pag. 485. sqq. & Obs. 47. Lib. XXVIII. pag. 292. sqq. item Ammam. Med. Crit. Cas. 94. pag. 470. sqq. & exinde Valentini, Pandect. Med. Leg. Cas. XI. pag. 761. sqq. part. 1. Bonet. Sepulchr. Anat. Tom. III. Lib. IV. Sect. II. Obs. 7. pag. 268. denique Barthol. Boschetti Dissert. de Salivat. Mercurial. Cap. III. Artic. 7. Hist. 7. p. 167.

Q q q 2

In



In idem fere vitæ discrimen alia temeraria medicina, inducta fuit infelix illa filia Goropii illius Becani, portentosis suis opinionibus celeberrimi, narrante latinissimo & experientissimo Tulpio, Obs. med. cap. 47. Lib. I. pag. 88. Nec non altera illa longe infeliciores femina, impudentissimi cujusdam Agyrtæ insanis consiliis & damnosis auxiliis similem in modum, miserrime decepta ac circumventa, cujus tristissimam historiam more solito, hoc est eruditissime & elegantissime, retulit vir & splendidissima amplissimi muneris dignitate, & vasta imprimis consummataque rerum & medicarum, & doctarum, scientia, eminentissimus, suoque merito celebratissimus, ill. Gerardus van Swieten, in illis suis optimæ frugis plenissimis commentariis æternum haud dubie victuris, in immortalis Herm. Boerhaavii Aphorif. Med. pract. Tom. I. pag. 881. quem & vid. p. 889. 892. & pag. 900. sqq. ubi nempe arduum hoc argumentum de singulari & abscondita cancri nascentis natura, pertinaci & intractabili indole, atque difficili tandem ac vix sperabili ejusdem curatione, solidissime doctissimeque, ut semper nempe consuevit, data quidem opera, pertractavit. Quod & dudum antea fecerat summus tanti discipuli, Magistro suo, maximo jure, æquiparandi, præceptor, ipse nimirum Boerhaavius, Tom. II. Prax. Med. pag. 238. sqq. ex quo sequentia imprimis verba notatu sane dignissima, e pag. 243. huc translata, legi omnino ob argumenti affinitatem, merentur. *Hic vero tota chirurgia & medicina desiderant medicamentum ad cancrum, ut suppuretur, vel in ambitu, ut aliquando in anthracibus fit, vel, ut substantia ejus vertatur in pus, & tamen continuum non solvatur: sed proh dolor! Nullum datur; quidquid nonnulli, ut imprimis chemici, jactent. Sic habui medicum chemicum mihi amicicum; ille dicebat, se habere medicamentum suppurationem bonam efficiens: sed vidi eum in tribus casibus, æque infelicem fuisse, ac ullum alium Empiricum: se tamen adhuc curare posse suo medicamento putabat, licet contrarium videret. Hac tenus quidem Boerhaavius.*

§. X I.

Tale tamen remedium a Boerhaavio jure desideratum, nullo ære mercabile, nullo inquam, auro æstimabile, habuisse unice rarissima quidem felicitate, videtur celeberrimus iste savi cancri domitor, uti vocabatur, Petrus Alliot, Batroducæus, rerum medicarum & chemicarum scientissimus, qui generosioris cujusdam Feminae mamillæ sinistrae a crudelissima cancri teterrimi pertinacissimique tabe per integrum jamjam quadriennium, immane quantum perexce *inspersit quotidie albicantem quandam pulvisculum sibi soli notum, unde post horula spatium, levis coorta febricula, que tamen mox cessavit, & quietem ægræ indulxit. Ita continua pulveris hujus insper- sione, sesquimense, effecit, ut vulneris labra ex livido, in rubicundulum terminarentur colorem, & ichor serosus paulatim in coctionem laudabiliter pus*
verte-



verteretur : quo facto, vulgaribus sarcoticis, ministrante chirurgo, plagam consolidavit. Quæ sunt ipsa verba testis non auriti, aut rerum harum imperiti, sed oculati potius, præsentis, &, qui visa sibi loquitur, ut ipse scribit, simulque rerum medicarum ac chemicarum juxta peritissimi, hincque tanto magis fidem plenam meritori, nimirum doctissimi illius & celeberrimi per orbem viri, Olai Borrichii, qui hæc ipsa suo tempore, Parisiis, publice gesta, miraculo tamen propiora, quam rei naturali, aut ordinariæ, candide, doctè, copiose, atque simul ornate, memoriæ prodidit, in Actis med. Hafniens. per Thom. Bartholinum, virum summum, publicatis, Vol. I. Obs. LXXII. pag. 160. ex quibus eandem mirabilem Historiam in medicinam suam septentrionalem transtulit Theophil. Bonetus, Tom. II. Lib. IV. Sect. XI. Obs. 6. pag. 158. sqq. Vehementer autem cum eodem laudato Borrichio, dolendum, illum ipsum admirandæ virtutis pulverem, sæculo tantopere profuturum, cum suo Auctore, lucri perituri cupidiorè, quam famæ æternum mansuræ, jamdudum in pulverem cineremque abiisse. Ne enim posteris prodesse voluisse videretur Petrus ille Alliotus, quod sane dictu turpissimum credituque difficillimum, ad pessimum alterius illius invidi & maligni viri exemplum, cujus supra ex Helmontio mentionem fecimus tam illiberali facinore dignam, maluit thesaurum istum fæde abscondere, suppressere, secumque sepulchro servare, quam in publicos usus, ut decebat nempe, large liberaliterque effundere. *Tantum scilicet*, quod merito cum Plinio, reprehendendum, *ab excogitandis novis ac juvanda vita, mores absunt.*

§. XII.

Commemoranda quidem nunc etiam essent varia alia remedia ex vulgo tribus sic dictis regnis nempe plantarum, animalium atque metallorum, larga copia, deprompta, atque ad indomitam dirorum carcinomatum ferociam refrenandam, passim impense commendata, a diversis auctoribus medicis, v. g. Mynsichto, Schrædero, Weckero, Fraundorffero, Mercklino, Penoto, Rulando, Sennerto, Rolfincio, Bartoleto, Jonstono, Riverio, Hartmanno, Paræo, Dolæo, Barbette, Waldschmidio, Gockelio, Boneto, Michaelè, aliisque pluribus, quos sciens lubensque jam prætereo, item & Gilberto Knowles, vate atque medico juxta celeberrimo, in materia medica botanica, tersissimo carmine conscripta, pag. 24. nec non Alphonf. Ferro, de morbo Gall. Lib. II, cap. 24 pag. 430. in Sylloge Aphrodisiac. per Aloyf. Luifinum, Tom. I. Edit. Boerhaav. Sed quoniam ista omnia, speciosis licet titulis insignita, plerumque plus præsidii promittunt, quam re ipsa, præstant, dirumque illud malum potius nonnihil emolliunt, quam funditus tollunt; licet nonnulla in contrarium, exempla singularia producta legantur, apud Forest. Obs. med. 2. Lib. XIV. pag. 372. Verzascham, Obs. med. 89. pag.



229. sqq. Scultetum, Armament. chirurg. part. II, Obs. 46. pag. 100. sqq. Overcamp. in chirurg. Nov. part. II, cap. 12. & 15. imprimis autem Riverium, Obs. med. 97. Cent. I. pag. 584. & Sam. Formium, Obs. chirurg. 20. & 21. apud eundem Riverium, p. 678. Opp. item Christoph. Guarinonium, consultat. Med. 513. pag. 591. & ill. Hoffmannum, med. rat. system. Tom. IV. part. V. cap. 6. pag. 458. Tom. III. Opp. item, Med. consult. Cas. 58. Cent. I. p. 177. sqq. ut alios taceam; ideo ea merito hic censui prætermittenda. Inde etiam nec longius jam excurram in *Phytolacce*, ignorati hæcenus in medicina, usus, laudes, quæ nepeirime, ceu unica illa salutis ancora, in feliciter perfanando teterrimo cancro, in Anglia potissimum, impensiore præconio nobilitari cœpit: longior enim dies, uberiorque atque fidelior experientia docebunt demum medicos solertiores, æquid denique veri solidique insit his ipsis commentis tam pulchra præclaraque minantibus.

§. XIII.

Quum igitur, uti quidem longe lateque hæcenus persequuti fuimus, omnia isthæc remedia in mitigando, aut extinguendo edaci cancro, tan-
topere celebrata, aut incerta valde sint atque ambigua, aut nociva ac discriminis plena, aut denique obscura, incognita atque ex tetro livore publicis commodis subtrahenda; proinde cum optimis quibusvis auctoribus medicis ac chirurgis, merito censendum, omnem in ferro solo salutem esse repositam, locumque tunc vel maxime habere illud virgilianum:

*Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quam, si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo.*

Nam, ut verissime quondam noster pronunciavit Hippocrates, Aph. 6. Sect. VIII. & lib. de arte, pag. 8. *ὅποσα Φάρμακα κὲ ἰήται, σίδηρος ἰήται*, Quæcumque medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Vix ergo ullum superest dubium, quin cancer potissimum, recens modo natus, adhuc mobilis, angusto limite circumscriptus, locoque imprimis oportuno sensibusque exposito conspicuus, intactis autem simul ante omnia, a contagiola ipsius labe mutuaque tabe, reliquis sani adhuc corporis partibus, feliciter plerumque, secure atque perfecte, ferro stricto excindi possit. Conf. Celsus; lib. V, cap. 26. Paul. Ægineta, lib. IV, cap. 19. item Galenus, Aëtius, Nonus, ut omnes jam recentiores medicos & chirurgos taceamus.

§. XIV.



§. XIV.

Quod præsertim de labiorum cancro, propter ipsius loci oculis manibusque exserti oportunitatem facilemque accessum, & minorem nimis sanguinis profusionis metum, tanto confidentius asserendum. Quis enim, quæso, tuto non credat summo illi in arte nostra dictatori venerando, ill. van Swieten, in aureis commentariis in Aphorism. Boerrhaav. Tom. I. pag. 896. ita gravissime pronuncianti: *Vix credi potest, quantæ magnitudinis cancri a peritissimis chirurgis aliquando ex labiis resecti fuerint, & feliciter curati, absque insigni deformitate. Vidi sic hominem, cui bina tertia partes labii inferioris sic fuerunt ablatae; & tamen satis pulchra cicatrice coaluerat tantum vulnus.* Qualia ejusdem felicitatis amputationis exempla plurima passim quoque relata leguntur apud Paræum, Opp, chirurg. Lib. VI, Cap. 29. pag. 219. Timæum a Guldenkleee, Lib. I. Cas. medicinal. 38. pag. 71. & Lib. VI, Cas. 13. pag. 271. sq. Petrum Forestum, Obs. med. 26. Lib. XVII. pag. 486. Gerard. Blasium, Part. VI. Obs. med. rarior. 15. pag. 82. Fabric. Hildanum, Obs. chirurg. 87. Cent. III. pag. 379. sqq. Stalpart. van der Wiel, Obs. med. chir. rar. 13. Cent. post. Part. I. pag. 105. sqq. Scharfchmidium, Relat. med. Part. II. Obs. 42. pag. 325. ubi & plura, quæ huc pertinent, præsertim magnum Fred. Ruyschium, adversar. Anat. med. chir. Obs. 5. Decad. II. pag. 14. ut jam taceam Fallopiam, Solingium, Overkampium, Guidonem Cauliacum, Severinum, ipsum chirurgorum principem, Heisterum, aliosque plures.

§. XV.

Verum, quod merito acerbe dolendum, numero quoque haud pauciora passim eorum miserorum occurrunt exempla, quibus facti ejusmodi labiorum liventium ac tumentium cancri apte licet, perite & de decen- ter recisi, post inductam etiam pulchre jam cicatricem, tamen præter omnem spem & opinionem, confestim reverterunt, & miseræ mortis causam attulerunt, ut sic verum esset illud Poætæ:

Latius excisæ pestis contagia serpunt.

Ex quibus fere innumeris, si quis aliquot tantum insigniora & diligentiore attentione digniora legere aveat, is quæso, evolvat, nisi grave est, Sculteti armament. Chirurg. Part. II. Obs. 33. pag. 77. sqq. Plateri Obs. med. Lib. II. pag. 369, sq. item Boneti Opp. passim, præsertim autem actorum med. Berolinens. Decad. II. Vol. II. pag. 91. & Vol. V. pag. 87. ubi bina præcipue tristissima ejusmodi exempla cancri labiorum post



post felicissimam quoque, ut videbatur quidem, extirpationem, cum ipsius vitæ detrimento subito renati, consignata leguntur, quæ affatim luculenterque ea ipsa comprobant, quæ superius, Historia I. & II. eundem in modum, candide & fideliter enarravimus.

§. X V I.

Nec dispar certe est ratio atrocioris illius canceri mammarum, frequentissimæ istius mollioris ac venustioris sexus calamitatis. Licet enim ejusmodi mammas ponderosas, horrendum rigentes, venisque inflatis, atroque vel livido tabo fæde turgidis intercurrentibus deformes, nonnunquam feliciter, & sine spe redituri mali vindice ferro, excisas fuisse, non desint exempla, passim hinc inde, apud auctores medicos & chirurgos obvia, veluti apud ipsum Æginetam, Lib. VI. cap. 45. p. 88. & Galenum item Hildanum, Obs. chirurg. 79. Cent. II. pag. 298. sqq. Forestum, Obs. med. 27. Lib. XVII. pag. 493. Marc. Aurel. Severinum, de Abscess. Lib. IV, cap. 9. pag. 222. Scultetum, armament. chirurg. Part. II. Obs. 44. pag. 93. sqq. Bonetum, Sepulchret. Anat. Tom. III. Lib. IV. Sect. II. Obs. 7. pag. 268. Thom. Bartholinum, Hist. Anat. 100. Cent. V. pag. 285. sqq. & act. Med. Hafn. vol. I. Obs. 27. pag. 58. Nicol. Tulpium, obs. Med. Lib. I. cap. 53, pag. 97. item Vidium, Cabrolium, Guidonem, Arcæum aliosque, apud Zacut. Lusitanum, Med. princ. Histor. 28. Lib. II. pag. 308. ut plures recentiores chirurgos, venerabilem imprimis Heisterum, jam studio taceam: Attamen ne ipso quidem stricto ferri minacis mucrone, inexpugnabiles ejusmodi mamillarum putridarum pestes semper expugnari potuisse, tametsi dirum malum cum ipso corpore, exsecaretur, ex totidem pariter exemplis luctuosis in contrarium, ingenti copia, facile producendis, nemini non protinus constabit, quicumque auctores istos vel supra laudatos, vel etiam alios, mox laudandos, paulo diligentius evolvere haud gravatus fuerit, videlicet Sebast. Meyerum, Hildanum, Obs. chir. 87. Cent. III. pag. 386. Scultetum, Arm. Chirurg. Part. II, obs. 45. pag. 98. sqq. Eberhard. Gockelium, Consil. Med. XXIII. pag. 272. sqq. Bonetum, in Sepulchret. Anat. Tom. III. Lib. IV. Sect. II. Obs. 7. pag. 268. & in medicina Septentr. Lib. IV. Sect. XI. Obs. 7. pag. 159. præsertim vero, Felic. Platerum, Lib. II. Observat. pag. 489, & pag. 495. sqq. ubi horrendi prorsus exempli Historia relata legitur, uti &, ut omnia in pauca contraham, Petr. Forestum, Obs. med. 26. Lib. XVII. pag. 483. sqq. ibique gravissimum Leonhard. Bertapaliæ, vetustissimi Auctoris chirurgici, hanc in rem, testimonium, & denique ill. van Swieten, Comment. in Boerhaav. Tom. I. pag. 895. Sed neminem tam veterum, quam recentiorum chirurgorum, facile repertum iri crediderim, cui non simile frequentius sit observatum.

§. XVII.



XVII.

Rarissime enim intra arctiorem unius solum mammæ ambitum circumscripta continetur fecunda ista repullulantis cancri lues; quin potius excisa feliciter una, riteque perfanata, confestim pestiferas suas fibras adhuc residuas & dolofo quasi sub cinere latentes in alteram vicinam, a vitio adhuc immunem, late dispergit, eamque ipsam simili tabe cadaverosa per mutuum contagionem, contaminat, quod & probe observavit exemplifque a se ipso visis uberius confirmavit venerandus nobis, vel post ipsa fata, Hoffmannus, in Med. rat. Systemat. Tom. IV. Part. V. cap. 6. pag. 448. & pag. 451. Tom. III. Opp.

*Sicque malum late solet immedicabile cancer
Serpere, & illasas vitiatas addere partes.*

Immo nec intra hos, etsi spatiosiores limites, indomita effrenataque ipsius ferocia perstat: quod si enim & altera illa Mamma contagiosa transitione pariter viciata ac corrupta, exsecta fuerit; tunc teste ipsa frequentiore experientia, mortiferum illud cancri late sævientis virus, sede potius nonnihil emotum, quam corpore penitus remotum, sæpe citato impetu, versus ipsum uterum partesque generationi dicatas, ruit, ibique deinde tragœdias excitat luctuosissimas, nulla prorsus humana arte opeque postea sedandas. Quale triste oppido atque funestum exemplum supra retulimus, Historia III. Cui geminum plane aliud, a se ipso pari modo, quondam observatum, memoriæ mandavit vir summus, Herm. Boerhaavius, Prax. Med. Tom. II. pag. 259. atque ex eo, ipso haud minor, ill. van. Swieten, in Comment. in Aphorif. Boerhaav. Tom. I. p. 875. Sed & dudum Primerosius simile lacrymosum exemplum de quadam equitis miseranda uxore, adnotavit, ceu ex ipso refert Theophil. Bonetus, in Polyalth. Tom. III. Lib. V. cap. 30. pag. 402. Conf. Frid. Hoffmanni, patris, Method. Med. Lib. II. cap. 2. pag. 415.

XVIII.

Neque sane id mirum: arctissimum enim & sensibus quoque pene ipsis manifesto obvium mammas inter atque uterum ipsum, intercedere consensum, mutuatque communicationem & connexionem inter omnes uberrime constat rerum medicarum & anatomicarum peritiores indagatores, id quod post ipsum nostrum Hippocratem, Galenum, Soranum aliosque veteres, luculentius, latiusque demonstrarunt viri in arte summi, Fallopius, Vesalius, Riolanus, Laurentius, Sylvius, Highmorus, Forestus, Bartholinus, Mercurialis, Bottonus, & imprimis Rol-

Tom. 11.

R r r

fincius,



fincius, Lib. V. Dissertat. anat. cap. 27. ut & disertius, in ordine & methodo generationi dicat. Partium &c. Part. II. cap. 16. 17. & 18. ut recentiores jam taceam, Regner. de Graaf. de Mulier. Organ. Generat. Joann. Freind., in Emmenologia, Schurigium, in Parthenologia & Gynæcologia, aliosque plures, quos inter tamen suo merito, eminet ill. van Swieten, Comment. in Boerhaav. Tom. I. pag. 853. & pag. 875. Hinc nunc facile, opinor, sua sponte, patebit ratio, cur unius ex illis, partis cancer mutua transicione, ad alteram propagetur, feliciterque, ut videbatur quidem, in mammis curatus, sæpe infeliciter in utero repullulet, non æque feliciter ibidem curandus. Plerique enim mammarum cancri ex prava ipsius uteri conditione, atque mensium degenerum vitiatorumque imprimis fluxu, nunc iusto parciore, aut inordinatiore, nunc plane intercepto atque suppresso, itemque frigido viduæque cubili, ac vita sine licentia conjugali, diutius peracta, funestam suam originem trahunt, uti medicorum peritiorum nemini non cognitissimum, atque superius quoque demonstratum. Nec desunt sane lugubris istius rei exempla quam plurima, fidem abunde factura, si quis forsitan, quod neitiquam tamen speramus, in dubiam sententiam discesserit, velutit apud Forestum, Obs. med. 26. Lib. XVII. pag. 487. sqq. Ballonium; Lib. I. Epidem. & Ephemerid. pag. 57. Hildan. Obs. 87. Cent. III. pag. 369. sqq. Lommium, Lib. II. Obs. Med. pag. 272. Blancardum, Anat. Pract. Obs. 16. Cent. II. pag. 286. sqq. Tim. a Gùldenkleee, Cas. 39. Lib. IV. pag. 237. Christ. Guarinonium, Consult. Med. 371. pag. 396. item Consult. 403. pag. 461. & Consult. 513. pag. 590. ill. Hoffmann. Med. rat. System. Tom. IV. Part. V. cap. 6. pag. 446. & p. 458. Tom. III. Opp. Idon. Wolfium, Obs. Med. Chir. 35. Lib. I. pag. 121. Bonetum, Polyalth. Tom. III. Lib. V. cap. 30. pag. 402. & in Med. Septentrional. Tom. II. Lib. IV. Sect. XI. Obs. 7. pag. 159. Martin. Akakiam, Lib. I. de Morb. Mul. cap. 19. pag. 769. in Gynæciorum Syllogè Israel. Spachii, ubi & Mercurialis, Montanus, Trincavellius, Bottonus, Mercatus, alique, qui de Morbis mulierum accuratius scripserunt, istoque grandi Volumine continentur, eandem in rem, diligenter sunt evolvendi.

XIX.

Tum vero demum maximum omnino & miserrimum omnium est miseriarum, & re ipsa, *ἀπίστος ἢ ἔυμφορή*, *incredibilis plane calamitas*, ut scite vereque ait Aretæus, Lib. II. de Morb. Chron. cap. XI. pag. 64. ubi plura de hoc acerbissimo casu legenda; quando scilicet acerrimum illud cancri mordacis Venenum ipsos secretiores uteri recessus violenter invadit, crudelique tabe obscenos locos muliebres adeo usque peredit, ut, horresco referens, sanies teterrima, olida, atra, flava, viridis, rufa,

rufa, verbo versicolor, ulceroso ab inguine, impatibili dolore & foetore, destillet, quæ omnia circumjacentia voracitate avidissima, depascitur, atque rapidissime depopulatur. Quod ipsum jam sua tempestate, probe animadvertit Paulus Ægineta, Lib. III. cap. 67. pag. 54. ἐκκρίνεται, inquit ille, διηνεκῶς ἀπ' αὐτῆς καρκίνε τῆ ἠλκωμένε τῆς ὑσέρεε, ἰχώρ λεπτόε, ὑδατώδεε, μέλαε, ἢ πυρόε, δυσώδεε ἐπίστε δὲ καὶ αἷμα φέρεται. Τὸ μὲν ἐν πάθεε ἀνίατον, ὡε τε καὶ Ἰπποκράτεε ἀπεφθνατο. In quo tamen loco vitiose scriptum πυρόε, ignis, quod sensu commodo hic caret, pro πυρρόε, rufus; quale mendum etiam ex Hesychio olim sustulimus, apud quem æque depravate legebatur, pag. 530. κίρρον, πῦρ ἐρυθρόν pro πυρρόν, ἐρυθρόν, ut jam ostendimus, Lib. IV. Observat. Crit. cap. 20. pag. 433. Sed hæc obiter. Ipse vero Nonus, sive Theophanes, nunc emendandus est ex hoc Æginetæ loco, ex quo sua maximam partem, hausit: vulgo enim ibi legitur, cap. 207. de uteri cancro, p. 238. ἐκκρίνει δὲ ἰχώρα μέγα, perperamque vertitur: *magnamque tenuis saniei copiam emittit*; quum tamen præeunte ipso Ægineta, & præcipue experientia ipsa, extra omnem controversiam, omnino legendum sit, ἰχώρα μέλανα, *sanie atram*: præsertim, quum neminem elegantius literatorum, opinor, fugiat, frequentissime in antiquis libris manu descriptis, propter arctiorem puta, literarum affinitatem, confusa inter sese deprehendi, τὸ μέγα, atque τὸ μέλαν: id quod post Canterum, Leopardum, Salmasium aliosque, singulari exemplo ostendit Jac. Gronovius, in Observat. ad Herodot. Lib. III. pag. 905. Idem vero Nonus etiam in antecedentibus, ejusdem capituli, alio gravissimo vitio, quod sensum turbat, inquinatus est, in istis nimirum verbis: Ἐλκομένε δὲ ὄντεε τῆ καρκίνε, πρὸ ταῖε ὀδύναιε καὶ σκληρίαι καὶ ἔγκω διαβεβρωμένα καὶ νομώδη εὐρίσκεται; quæ scilicet hunc potius in modum, rescribenda & interpungenda sunt, ex eodem Paulo Ægineta: πρὸε ταῖε ὀδύναιε, καὶ σκληρίαιε, καὶ ὄγκω, διαβεβρωμένα καὶ νομώδη εὐρίσκεται. Verum, mittamus jam isthæc critica, hac commoda tamen occasione, ut quidem ob argumenti dignitatem, merito videbatur, haud plane negligenda, aut repudianda: quin potius illico ad nostrum institutum, si placeat, revertamur.

X X.

Quodsi igitur ejusmodi immunda teterrimi juxta foetoris & abominandi coloris mixti colluvies in exulcerato ipsius naturæ muliebris sinu, collecta hæret, ibique inexhausta scaturigine exundat, omniaque peredit & absmit; tum sane unanimi prudentiorum medicorum consensu,

Spes nulla, tantum posse leniri malum,

R x x 2

quo-

quoniam tunc ἀνίατον plane est πάθος, ὅπερ ἔτε δυνατόν, ἔτε συμφύρον ἐς χειροποιεῖν, immedicabilis prorsus morbus, cui nulla opera chirurgica cum fructu, mederi potest, fatentibus modo laudato Ægineta, Lib. VI. c. 45. p. 88. & Nono, Aetio, Actuatio, Aretæo, & imprimis Galeno Comment. in Aph. Hipp. 38. Sect. VI. Opp. Tom. IX. Part. II. pag. 272. aliisque pluribus, apud Henr. Stephanum, Dictionar. Med. pag. 356. fqq. quibus, e recentioribus, addantur Laz. Riverius, Lib. XV. Prax. Med. cap. X. pag. 463. fqq. Opp. Bruno Seidelius, de morb. incurabil. pag. 25. Henr. Smetius, Lib. VII. Miscell. med. pag. 335. Ido Wolfius, Obs. Chirurg. Med. 35. Lib. I. pag. 117. fqq. Jo. Varandæus, Tractat. de morb. & Affect. Mulier. Lib. I. cap. 9. pag. 177. & qui idem argumentum diligenter tractarunt, Mercurialis, Mercatus, Acacia, Montanus Bottonus, aliique apud Spachium, in Gynæc. item Rod. a Castro, Primerosius, & præsertim Francisc. Mauriceau, Lib. III. de morb. puerper. cap. 13. cujus locum insignem huc vel maxime spectantem latine retulit Bonetus, qui & ipse conferri debet, in Polyalth. Tom. III. Lib. V. cap. 30. pag. 402. fqq. tandem, ut innumeros fere alios jam mitam, ipse Boerhaavius, Tom. II. Prax. Med. pag. 260. ejusque prudentissimus Explicator, ill. van Swieten, in Comment. Tom. I. pag. 895. fqq. & Vir denique suo merito maximus, B. Frid. Hoffmannus, Tom. IV. Med. rat. Systemat. Part. V. cap. 6. pag. 447. Tom. III. Opp. item Tom. II. pag. 161. fqq.

§. XXI.

Quam tantorum auctorum decretoriam sententiam tristissimam exemplis aliquot funestissimis, illique ipsi a nobis Historia III. proposito, maximam quidem partem simillimis, uberius confirmarunt & illustrarunt Medici pariter celeberrimi, Petr. Forestus, Observ. Med. 146. & 47. Lib. XXVIII. p. 283. fqq. Jo. Heurnius, in Not. ad Aph. Hippocr. 56. Sect. V. p. 390. Steph. Blancardus, Anat. præct. rat. Obs. 16. Cent. II. p. 286. Nicol. Tulpus, Lib. III. Obs. Med. cap. 33. & 34. pag. 237. fqq. præsertim autem ornatissimus Pechlinus, Obs. med. 22. Lib. I. pag. 51. & Henr. ab Heer, Obs. med. rar. 14. pag. 180. fqq. itemque Schurigius, qui ista ex ipsis repetit, in muliebr. Hist. Med. Sect. III. cap. 2. pag. 271. fqq. add. Act. Med. Berolin. Decad. I. Vol. V. pag. 26. & Decad. II. Vol. V. pag. 85. ut & ill. van Swieten, Comment. in Boerhaav. Tom. I. pag. 886. Quo & imprimis pertinet notabilis oppido locus, in Vita S. Philippi Nerii, to. 6. Mai. pag. 633 apud longe doctissimum & laboriosissimum Cangium, in Glossario Med. & infimæ Latinit. Tom. III. pag. 1280. quem, quoniam ipse brevis est, huc infra adscribere haud pigrabimur: *Per annos plures variis morbis*

con-



confictata femina, eoque præsertim, quem Hystericum appellant, cum acri quadam destillatione, ex qua deinde putridum malignumque ulcus exortum est. Quo ipso ejusmodi teterrimum & insanabile prorsus uteri demum exulcerati carcinoma intelligendum esse, neminem rerum istarum scientiorem fore arbitramur, qui vel leviter tantum dubitare ausus fuerit.

§. XXII.

Quamobrem, ut omnia diffuse hætenus dicta, in unum tandem cogamus, apprime gnari, cunctationem hic sæpius plus prodesse, quam quidem temeritatem, aut festinationem, nemini unquam Chirurgorum auctores suasoresque facile fuerimus, ut sine omni discrimine, omnes generatim cancos, præsertim autem inveteratos, & ex diuturniore mora, altius partibus infixos ac latius jam circumductos, justo properantius, cruenta amputatione, debeat; nisi ex saluberrimo Hildani, Foresti, Pechlini, Boerhaavii, Heisteri, van Swieten, & aliorum magnorum Virorum Consilio, prius perquam sollicitè & studiosè exploraverit, qualem potissimum habitum faciemque reliquæ imprimis corporis glandulæ, v. g. colli, faucium, aurium, axillarum, inguinum, cum ceteris, induerint: quarum nempe omnium mira arctaque inter sese est societas ac conjunctio, ut scilicet ex anatomicis & pathologicis notissimum, quod & egregie, pro solito more, docent viri iterum cum cura & observantia, dicendi, Boerhaavius atque Swietenius, in tractat. de cancro item Severinus, Malpighius, Ruyschius, Hallerus, Whartonus, iique præsertim Scriptores, qui data opera, de partium corporis humani consensu, commentati fuerunt, veluti Bausnerus, Lygæus, & ut alios jam mittamus; B. noster parens, Jo. Mauritius Trillerus.

§. XXIII.

Quodsi enim earum nonnullæ, aut omnes jam in scirrhum quemdani intractabilem pertinaciter induruerint, aut alio modo, suspectæ, aut a statu suo naturali degeneres deprehensæ fuerint; tunc propter justum mali proxime alibi, & pejore longe atque periculosiore loco resurrecturi, metum, omnis sane extirpatio non solum nihil prorsus emolumenti, sed etiam adeo plurimum insuper damni & exitii certissime illatura est: quoniam ulcers curatio tum gravior ipso ulcere esse plerumque solet, ut luculento inter alia, exemplo, ipse ostendit Hippocrates noster, Lib. Epidem. VII. pag. 875. Opp. de infelicissima femina quadam Abderitana: id quod fidissima rerum magistra, liquida nempe experientia, tot jam tristibus exemplis aliis, hætenus ex parte, ingenti copia, allatis, confirmavit, & per omne in posterum tempus, amplius haud dubie est



confirmaturâ. Quapropter omnino *prudens est hominis, eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus, ut occisi, quem fors ipsius interemit, ut sapientissime præcepit Cornelius nos-ter Celsus, Lib. V. cap. 26.*

§. X X I V.

Ut enim arbores quædam recisæ pullulant; ita unius inveterati carcinomatis intempestiva Extirpatio auget plerumque cancerorum novorum aliis in locis, fœda foetura, regerminantium numerum, tollendo. Quare omnibus tam anceps, ambiguum ac erudele remedium in posterum forsantentaturis acclamandum potius illud Pacuvianum, apud Ciceronem, Lib. II. Quæst. Tusculanarum :

*Operite, abscedite, jamjam dimittite :
Nam attræctatu & quassu, sevirum amplificatis dolorem.*

Semper enim in his desperatis & conclamatis malis, tutior est quies & abstinentia, at perniciosior contra temeritas ac festinatio : Inde hic *cauta potius consilia cum ratione, sequenda, quam prospera interdum, ex mero casu fortuito, ut sapienter quondam, monuit Tacitus, Lib. II. Historiar. Cap. 25. Rectissime enim in hunc ipsum sensum, Titus Livius, Lib. XXII. cap. 38. Temeritas, præterquam, quod stulta sit, etiam infelix, & Festinatio improvida est & caeca. Οὐ προμηδῆς μὲν γὰρ τάχος βλαβερόν, βραδύτης δὲ μετ' ἐνελπίσιαις, ὠφέλιμον, quod pariter prudentissime effatus est Philo ille Judæus, Lib. de Plantat. Noë, pag. 184.*

§ .X X V.

Sed tempus ipsum tandem monet, ut longiore hactenus excursione veluti nonnihil fessi fractique, jam finiamus, & quidem pio & ardenti cum voto, ut nempe supremus Deus pro sua immensa gratia ac misericordia, omnibus iis ipse mederi velit, qui ab omni humana arte opeque deserti & defecti, sine ulla fere mali vincendi spe, ineluctabili isto exitio, per vitam miserrimam, consistantur. Quale singulare & memoria perquam dignum præsentissimi divini auxilii exemplum luculenter enarravit S. Augustinus, Lib. XXII. de civitate dei, Cap. 8. pag. 1047. Tom. II. quo ipso huic exercitationi nostræ academicæ summam veluti coronidem imponere, ut spes est, juvabit : *In Carthagine, Innocentiâ, femina religiosissima, de primariis ipsius civitatis, in mamilla cancerum habebat : rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem. Aut ergo præscindi solet, & a corpore separari membrum, ubi nascitur ; aut, ut aliquanto diutius*

diutius vivat: Nam, ut inde mortem, quatumlibet tardius affuturam, confidamus, secundum Hippocratis, ut fertur, sententiam, omnis est omittenda curatio. Hoc illa a perito medico. Et sue domui familiarissimo, acceperat, Et ad solum Deum se, orando, converterat. Admonetur in somnis, appropinquante Pascha, ut in parte feminarum, observanti ad baptisterium quaecumque illi baptizata primitus occurrisset, eundem locum signo Christi signaret: Fecit, Et confestim sanitas sequuta est. Hactenus venerabilis ille Præful Hipponensis. Ad cuius singularem hunc locum, qui tamen non ex omni quidem parte, sanus atque integer videtur, legi utique dignus doctissimus commentarius præstantissimi Jo. Ludovici Vivis, pag. 1058. Verum nunc manum tandem de Tabula!

F I N I S.



A. G.

G. A. LANGGUTH P. P. O.

P R O G R A M M A

DE POTISSIMIS CANCRI MAMMARUM
CAUSIS PRUDENTER OCCUPANDIS.

Witembergæ 28 Octobris anno 1752.

EX omnibus morbis, quibus cum sexui feminino in primis confictandum est, cancro mammaram exulcerato nullus ipsi accidit, neque gravior in universon, neque cruciatu tetrior, aut horridior adspectu, aut longa denique, & ad omnia remedia, ad ignem ferrumque, rebellis, pertinacia crudelior. Ejusmodi enim sœvitia recte crudelissima habetur, quæ id efficit, non ut statim moriantur miseri, & ab intolerabili, nihilque sibi profutura, calamitate liberentur, sed ut putri tabo squalentes paulatim elanguent, seque lenta & difficili morte mori sentiant. Quare, quum tanto huic malo nullum adhuc inventum sit auxilium, neque anceps etiam remedium quid proficiat, eo sollicitius de eo cogitandum est, ut ejus, prima inter incipia detecti, impetus avertantur, tamque maligni & pestilentis ulceris causæ, nisi omnes, potissimæ tamen, tempestive occupentur.

Ex ipsa autem cancri natura, quibus causis ejus natales debeantur, optime intelligitur. Quam ob rem, quæ ad illam declarandam pertinent, brevissimis præmittenda sunt. Equidem duplicis generis vulgo cancer habetur; alterque incipiens occultusque, alter apertus, sive exulceratus, dicitur: negari tamen non potest, non, nisi hunc, qualemcumque cancri, aut formam, aut indolem, referre, quodque adeo consequitur, hoc nomine proprie appellandum esse. Sed, sicuti exulceratus cancer occulti, sic occultus scirrhi, quem Græci vocant, soboles est: unde efficitur, hujus quæ sit origo atque indoles, ante omnia docendum esse.

Est vero scirrhus, ita ab sua singulari duritia dictus, tumor, durus, renitens, pisi sæpe aut fabæ magnitudinem non excedens, omnis doloris expers, glandulosas partes in primis occupans, a materia crassa & immobili, glandulæ folliculum ductusve distendente, oriundus, nulla graviore noxa, nisi æterno cancroso ulceris metu, ad ultimam non raro senectutem perdurans. Contra ea incipiens & occultus cancer is est, ubi ab hoc tumore irritato inflammatoque, ejusque materia emollita, acri, & in putredinem ruente, dolor tumori exquisitus, cum incremento, accedit, & benignus paulatim in malignum convertitur; donec, ubi tandem humor
vitio

